



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de
voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

Bosco, Jean a

Antverpiæ, 1686

Concl. IV. Deus delectatur de bono præsentis; sed minimè tristatur de malo
sive proprio, sive alieno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73680)

Christum non certò præcivisse, quo tempore Pascha manducaturus esset cum discipulis suis? Scio, quia non censeas: & tamen Christus ait: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*, Luc. 22. v. 15. Pone, aliquem per revelationem certum esse de sua æterna beatitudine, & certum de hora mortis suæ: putas, ideò beatitudinem sibi esse præsentem, ut proinde amplius nequeat eam desiderare?

Nec obstat: quòd Deo sit facilè consequibile illud bonum: nam licet ad objectum spei requiratur arduitas, non tamen ad objectum desiderii in genere; sed sufficit, ut sit bonum absens, sive faciliè, & certò possit haberi, sive difficulter, & contingenter. Absens, inquam, id est, realiter, & in sua propria existentia nondum possessum. Atque ita res futura, quò talis, est bonum absens respectu Dei, tametsi sit præsens in esse cognito, & éminenter, quia reverà non possidet à Deo formaliter, seu realiter, & in sua propria existentia. Hinc Felix cap. 6. diff. un. num. 14. ad sequentem objectionem: Deus desiderat omnes salvos fieri, & omnes benè operari: ergo in Deo est desiderium; perperam respondet: Si talis (inquit) gloria esset futura, Deo est præsens, & sic illum non desiderat, si tantum est possibilis, cum Deus potuerit illam producere, & non producit, non desiderat. Hanc, inquam, responsonem rejicio; quia juxta jam dicta, gloria futura non est in sua entitate præsens Deo, & ideò benè dicitur absens. Quòd autem possibilem potuerit producere, & non producat, tantum arguit, desiderium ejus non esse absolute efficacè; secus quòd nullo modo eam desideret, etiam efficaciter, quantum est in se, ut patet ex dictis Sect. præced. Igitur desiderium, secundum nos, non est aliud quam volitio boni absentis, & fuga volitio mali absentis. Et quis dubitare potest, Deum velle nobis bona absentia, & nolle mala absentia? *Omnes homines vult salvos fieri*, 1. Timoth. 2. v. 4. Et: *Nolo mortem impij*, Ezech. 33. v. 11. Ergo, saltem respectu nostri datur in Deo desiderium & fuga; quæ est ultima pars Conclus. nullam in se continens difficultatem.

Cæterum, contra id, quò diximus, desiderium solum esse boni futuri, & non præsentis, arguitur ex 1. Petri 1. v. 12. *In quem (Deum) desiderant Angeli prospicere*; cum tamen cum præsentem habeant. Respondet Smif. sup. ex D. Thom. 1. 2. qu. 33. a. 2. Desiderium ibi largè capitur pro quocumque affectu boni, non patientis fastidium; quia non ita explet appetitum innotum, seu capacitatem passivam naturæ desiderantis, quin absque excessu adhuc perfectius possideri possit, spectatà capacitatem; & sic quia desideramus bona absentia, quorum capaces sumus, per similitudinem & metaphoram dicuntur Angeli beati desiderare Deum, cujus perfectius possidendi capaces sunt, de naturæ capacitatem loquendo: aliàs, propriè loquendo, desiderium illud Beatorum, quòd habent de Deo, est passio satiætat, & delectationis in

bono infinito præsentem. Et ecce pervenimus ad quintam passionem, scilicet delectationem, pro qua, & passione 6. ei opposita, putà tristitia, erit

CONCLUSIO IV.

Deus delectatur de Bono præsentem; sed minimè tristatur de malo, sive proprio, sive alieno.

Delectationem propriè esse in Deo, nemo ambigit; quippe non aliud est, quàm affectus & propensio in bonum præsens & possessum; & quis sanæ mentis dixerit, Deum non esse sibi ipsi intimè præsentem, & à seipso perfectissimè possessum? Enimverò in hoc affectu nulla reperitur imperfectio: nec objectum (inquit Smifing sup. num. 55.) seu materia delectationis deesse Deo potest, cum sua infinita perfectio, quæ sibi essentialiter convenit, sit bonum summè beatificans, & satians intellectualem substantiam. Sic ille. Nec solum de proprio bono gaudet seu delectatur; sed etiam de nostris bonis præsentibus, & possessis: quæ enim in ea delectatione imperfectio? Certè bona nostra Deo volente accidunt, & sunt objectum gaudij; quidni ergo Deus de iis gaudeat? Noli dubitare. Nonne scriptum est Luc. 15. v. 7. *Gaudium erit in celo super uno peccatore penitentiam agente?* Et v. 10. *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente?* Si coram Angelis Dei, cur non etià coram Deo? non video sufficientem disparitatem. Si inferas: ergo etiam Deus tristatur, si non de suis, cum Deo nihil mali saltem intrinseci accidere possit, saltem de malis propriis extrinsecis, & de malis alienis: nam & Angeli de malis nostris tristantur, juxta illud Isaia 33. v. 7. *Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amare stebunt.* Hoc autem opponitur secundæ parti nostræ Conclusionis, quæ negat tristitiam in Deo, sive de propriis, sive de alienis malis; aut certè non valet argumentum sup. factum: Angeli gaudent de bonis nostris: ergo etiam Deus. Vel assignetur disparitas inter delectationem, & tristitiam ei oppositam. Respondeo; disparitatem esse: quòd tristitia, ut ait Felix sup. num. 16. sit de his, quæ nobis nolentibus accidunt; jam autem Deo nihil accidit sibi, vel aliis, nolenti.

Smifing sup. sic ait ad nostrum propositum: Certum est, passionem delectationi oppositam, nempe tristitiam, in Dei voluntatem non cadere, ut Omnes norant; & ita Scripturas, quæ significant Deum dolere, exponunt per metaphoram esse intelligendas; quia Deus si aliquandò exterius ita gerit, quemadmodum solemus nos cum tristamur; videlicet, ostendendo signa abominationis mali, de quo tristamur.

28.
Delectatio propriè est in Deo.

Etià de nostris bonis.

Objectio.

Solvitur Felix.

29.
In Deo non est tristitia. Smifing.

mur, putā gemitus, quērelas &c. Sic intelligitur illud Gen. 6. v. 6. *Penituit eum, quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem.* Ubi vide Ambr. lib. de Noë, & arca cap. 4. & alios Expōitores. Sic ille. Interrogas eum: eequā ratio, cur Deus tristari nequeat? Respondet: quod tristitia sit aversio à malo præsente, & ad ipsum, qui tristatur pertinente: Deus autem nullum malum pati potest. Objicis: Nos tristamur, non solum de propriis, sed etiam de amicorum malis: ergo licet Deus non possit tristari de malis propriis; bene potest de amicorum suorum malis contristari. Respondet præfatus Auctor; tristitiam, de malis amicorum conceptam, sequi apprehensionem amici, tamquam aliquid nostri, juxta illud: *Amicus est alter ego*; & consequenter ex apprehensione mali, quod amicus patitur, tamquam nostri mali: Deus autem non apprehendit, amicos suos ita sibi uniri, ut malum illorum aliquid sit malum ipsius. Hæc ille. Aliam responsionem addit Felix sup. dicens: Vel malum amici est malum poenæ, vel culpæ; si poenæ, non causabit Deo tristitiam, quia non accedit ipso nolente: si culpæ, si est mortalis, jam habens hoc malum non est amicus Dei; & ita Deus tristari non potest, ut amicus; si est venialis, non est cur tristetur Deus; nam facile poterit tale malum delere. Ita Felix.

Probatio.

Obiectio.

Solutio.
Smising.

Alia solutio
ex Felice.

30.

Quare potius Angeli tristentur de malis nostris, utpote qui sint conservi nostri, juxta illud Apocal. cap. 22. v. 9. ubi Angelus dixit ad Joannem volentem eum adorare: *Vide ne feceris: servus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum &c.* Quid ergo mirum, si Angelus apprehendat malum amicorum suorum esse malum aliquid ipsius, quod cum accedat ipso nolente, nec potente illud impedire, aut delere, quid, inquam, miramur, si tristetur? Objiciunt præterea Adversarii: Et si Deus in propriis bonis intrinsecis jacturam nullam pati possit; tamen potest in propriis bonis externis, quæ ad gloriam & honorem suum pertinent: de hoc igitur proprio malo præsente, & ad ipsum pertinente dolere potest. Respondet Smising sup. non qualecumque malum præsens ad excitandam tristitiam sufficere; sed illud solum, quod simpliciter & omni modo privat bono opposito: malum autem, quod Deus in suo honore pati potest, non privat illum simpliciter bono, quod in tali honore reperitur; cum illud in se eminenter, & altiori perfectiorique modo habeat Deus; quemadmodum cætera bona creata, sed solum privat Deum illo bono secundum proprium & formale esse talis boni, ex quo Deus non patitur aliquem defectum, sed potius creatura rationalis, quæ deberet habere actum honorandi Deum, qui actus est talis creaturæ propria perfectio & bonum (quoniam honor est in honorante) verum Deus bonorum nostrorum non eget, Pl. 15. v. 1. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Probatur
Deum posse tristari de proprio malo.

Contrà arguitur ex Smising.

Secus est in hominē; quia licet honor quoque ipsi debitus non sit bonum internum honorati, sed honorantis; tamen cum illo qualitate eumque bono externo privatur, simpliciter deest; deest tamen, nec in aliqua sua perfectione intrinseca eminenter retinet id, quod bonitatis reperitur in tali honore: & ideo intrinseca ejus perfectio ad satietandum ipsius appetitum non sufficit; sed is ad varia bona interna & externa distrahitur; & sic deficientibus sibi etiam externis bonis, simpliciter defectum pati censetur. Hucusque Theod. Breviter dico: Tristitia est aversio à malo præsente, & ad ipsum, qui tristatur, pertinente, ac contra ipsius voluntatem proveniente: jam autem in Deo nullum invenitur malum; neque alteri aliquid malum accidere potest, quod pertinet ad Deum, contra ipsius voluntatem, neque ipsi Deo aliquid malum extrinsecum. Et hæc tenent de passionibus, pertinentibus, secundum D. Thom. ad appetitum concupiscibilem; sequuntur passiones pertinentes juxta eundem Doct. ad appetitum irascibilem, pro quibus instituitur

CONCLUSIO V.

Deus nihil sperat, neque timet. Irascitur, dum appetit malum alteri inferre ratione delicti ab illo commissi.

Passiones, quæ, secundum Thomistam, pertinent ad appetitum irascibilem, sunt spes, & desperatio, timor & audacia, ac ira: dicitur, secundum Thomistam, seu D. Thom. quia obiectum irascibilis, quod secundum ipsos est arduum; juxta Scotum, ut notat Felix sup. 1. & tract. de Beatitudine cap. 8. num. 2. potius est obiectum concupiscibilis. Sic ait Auctor postremo loco: Appetitus sensitivus duplex est, unus est concupiscibilis, alter irascibilis, quos Scotus 3. dist. 34. §. Notandum ulterris lit. G. (aliis num. 10.) distinguit: nam obiectum concupiscibilis est, quod primo tantum est esse conveniens, vel disconveniens, obiectum vero irascibilis est, quod non primo, sed secundario est conveniens vel disconveniens, v. g. cibus est primum appetibile, & carentia cibi est primum fugibile, quia est primum disconveniens, & ita totum hoc pertinet ad concupiscibilem canis. Quod impedit consecutionem vel fructificationem cibi, est secundum fugibile, & ablatio talis impedimenti, est secundum appetibile, quod totum pertinet ad irascibilem canis.

Ex quo constat, quod tam in irascibili, quam in concupiscibili sunt actus, qui versantur circa ea bona; & actus, qui versantur circa mala: concupiscibilis: circa primum appetibile, si est bonum; & primum fugibile, si est malum: irascibilis: circa secundum appetibile, & secundum fugibile; v. g. circa impediens cibum, habet appe-